DE CARDIOPALMO DISSERTATIO INAUGURALIS AD MEDICINAE LAUREAM…

Giuseppe Menon

DE

CARDIOPALMO

DISSERTATIO INAUGURALIS

AD

MEDICINAE LAUREAM

OBTINENDAM

A

JOSEPHO MENON

VERONENSI

IN LUCEM PROLATA

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXII.

PEREGRINIO MORGANTE

CLARISSIMO

MEDICINAE DOCTORI

Virtutes tuas et multas et magnas cognovi cum ego tecum familiariter, et amice versarer. Hinc accidit, ut jam ex eo tempore Te plurimi facerem, et omni laude dignissimum existimarem. Nunc vero laetor valde, quod occasio opportuna se praebeat significandae meae in Te voluntatis. In lucem prodeunt, ita imperante lege academica, haec mea scripta, et nomine

tuo, quod sane praeclarissimum est, insigniri gestiunt. Id virtutibus tuis, quarum ego maximus admirator sum, unice tribuas, velim. Fac etiam, atque etiam valeas.

Observantissimus Tui
AUCTOR

Si vehementes cordis motus, quibus afficior dum me Vobis, ornatissimi observandique Viri, ad dicendum offero, iidem essent atque illi, de quibus sermonem sum instituturus; non bilaris hercle meus esset vultus, sed qua animus opprimeretur, aegritudinem indicaret. Verum quae frequens me angit palpitatio, quae vox mihi rauca et tremula est longe aliud ac cordis affectionem significat; eum me potius, maxima, insolita, nova ostendat hac die perfundi laetitia. De illis cordis palpitationibus verba faciam, quae in aliis perecensentur innumeris morbis, quibus hominum genus affligitur; quod quidem argumentum etiamsi eo majus quo me minus aptum ad pertractandum intelligam; tamen quemadmodum mihi disserendi copia datur in conspectu vestro, quorum tanta est praestantia, ut eam mihi admirari tantum, non assequi liceat; ita confido temeritati tributum non fore, si de eo loquar, quod mei conatus ingenii superare cognosco.

Definitio.

Cardiopalmus, ut a pathologis definitur, nil aliud est, quam abnormis et solito vehementior cordis pulsatio, quae non modo tactui, sed au-

ditui plerumque et visui perspicua fit. Quibusdam vero ad cardiopalmum referre libet adauctam cordis pulsationis frequentiam, etsi pulsatio ipsa solito vehementior non sit.

Symptomata.

Varius quidem gradus, et interdum modus est quo symptomata manifestantur juxta conditionem pathologicam, unde oriuntur palpitationes, juxta intensitatis et extensionis gradum, juxta subjectorum naturam et viscera in quibus affectio sita est. Nihilominus prodroma generatim esse solent difficultas noctu spirandi et oppressio, dolores vagi circa pectus et partes vicinas, pondus in capite et toto corpore, arteriae fortiter micantes, nausea, quandoque vomitus et cardialgia, pulsus inaequales. Cor deinde vehementer pulsat et paulo post concussiones persentiuntur dorso, toto pectore nec non epigastrii regione. Palpitatione jam incepta pulsus tensi fiunt, duri, frequentes, contracti, sed parvi deinceps evadunt, inaequales et obscuri. Insurgit dolor cum sensu ponderis in pectore et scrobiculo cordis, difficultas respirandi et decumbendi, anxietas, calor universus: manat capite, collo et pectore vaporosus sudor, facies, oculi rubent, plerumque tussis excitatur angorem augens, urinae paucae vario colore tinctae, alvus saepe adstricta. Saepe post calorem in toto corpore diffusum artus praesertim inferiores frigescere inci-

piunt. Interdum vires vitales et animus servantur, sed raro; saepius comparet animi dejectio, timor mortis, facies pallida, respiratio difficilis, suspiriis interrupta, anxietas et pectoris oppressio. In scenam prodeunt in posterum motus convulsi et epilepsia ipsa cardiopalmum alternans. Leipothymiae, deliquia, syncopes malorum agmen claudunt. Diuturnitas hujusce morbi variat summopere, cum aliquando paucis horis tantum duret, at quibusdam tantum ingruentibus causis; alias nonnullis diebus et mensibus, et aliquando tandem per annos et totum vitaa curriculum vexat.

Dissentiunt auctores quoad hujusce morbi sadem, cum alii modo in auriculis, modo in ventriculis cordis illum residere censeant, alii in auriculis exclusive, quidam autem nonnisi in ventriculis sedem habere posse arbitrentur. Tamen exempla non desunt cardiopalmi, qui a polypis in vasis majoribus cordi proximis et a contractione eorundem vasorum, at ab aneurismatibus originem duxerit. Medico cardiopalmum curare aggredienti statuenda est in primis conditio pathologica qua ipsa oriatur sive in cordis ventriculis, sive in auriculis, sive in vasis positus sit. Haec tanti momenti res summum non praeteriit Hippocratem, qui dicit: *Medicus aptus ad morbum cognoscendum, aptus ad curandum*. Sed quoad conditionem pathologicam quae ita reconditam sedem tenet, et per universale systema extendi-

tur peritissimus quoque medicus in sua diagnosi facillime decipi potest. Cum tamen ea sit hypersthenica aut hyposthenica aut irritativa, causae et individuus ipse qui afficitur nos satis, praeter symptomata, illustrare poterunt. Quod si organica esset, haec quoque praeter symptomata aliud criterium, ut eognoscatur, suppeditabit, idest si quaecumque artis experimenta fefellerit.

Quae reapse potentiae solito celeriorem sanguinis cursum efficiunt, quae cordis irritabilitatem, aut nervorum erethismum adaugent, quae postremo sanguinem libere circuire prohibent, occasionales cardiopalmi causae evadere possunt, nec non variis aut interdum oppositis conditionibus pathologicis originem praebere.

Motus violenti, cursus, chorea, exercitationes corporis vehementes et protractae saepe saepius cardiopalmum dant; sed cessare hic solet statim vel paulo postquam individuus ab illis abstinuerit.

Usus ciborum aerium, aromatum, liquorum alcohol scatentium, abusus vini generosi facillime palpitationem inducunt illis, qui habitu corporis gracili, temperamento sensiliori donantur, et labores diutinos, infortunia, calamitates varias jam passi sunt.

Si Merat consulimus, docet sanguinem triplici ratione causam palpitationis evadere:

1°. Uti stimulus nimis energicus ob quantitatis excessum, vel ob qualitates inhaerentes.

2°. Ob nimiam densitatem.

3°. Ob nimiam liquationem.

Abusus veneris, mastupratio, imaginatio fervide adaucta, phantasia nimis elata efficientiam nervorum perturbando, et circuitum sanguinis abnormem reddendo concitant palpitationem; hoc quoque faciunt diversi animi adfectus spes et timor, gaudium et tristitia, amor et odium, ira atque alia hujusmodi.

Occasiones praebent cardiopalmo compressiones in conspicuis partibus systematis sanguiferi, sicuti vestes adstrictae. Theden sane affirmat se quosdam Borussiae milites cardiopalmo affectos invenisse, eo quod nimis angustis uterentur cothurnis, affectionemque cessasse statim ac compressio sublata fuit. Thoraces inducunt cardiopalmum aliquoties ob impeditam respirationem.

Frequenter manifestatur in morbis inflammatoriis, potissimum in illis pectoris et abdominis. Sic pneumonitidem et pleuritidem interdum cardiopalmus est comitatus, nec non symptoma pathognomonicum pericarditidis et carditidis tam lentae quam acutae constituit. Angioitis, gastro-enteritis, nephritis, hepatitis secum idem phaenomenon ducunt. Aliquando rheumatismum, podagram, arthritidem et inflammationes alias externas subsecutus est. Non desunt exempla cardiopalmi qui miliare exanthema comitatus fuerit (Hamilton), alias ingruente ipso exanthemate prorsus cessavit

(Barilon). Multoties etiam exanthemata retropulsa causa sunt cardiopalmi, nec non secretiones suppressae.

Ob leges consensus plerumque habetur cardiopalmus, et ideo in flatibus, saburris gastricis, in excessu bilis, nec non ob vermes in fistula gastro-enterica, in adfectione uteri et in utero praegnante.

Inter causas autem potissimas cardiopalmi recenseri merentur laesiones organicae, mutationes structurae et formae cordis ipsius, praecipua cor bovinum et cordis hypertrophia; restrictiones vasorum, rigiditates cartilagineae et osseae, aneurisma aortae, varices, lympha concrescibilis sub phlogosi exsudata. Valsalva exemplum refert adolescentuli sextum et decimum vitae suae annum agentis ab ortu palpitationi obnoxii, in cujus autopsia arteria pulmonalis prorsus occlusa, et foramen ovale apertum inveniebatur. Valvulae etiam duriores, incrustationes solidae cujuscumque naturae ad basim vel circa hiatus cordis eavorum (Merat); tumores, ulcera, excrescentiae fungosae et similia producunt cardiopalmum. Polypi etiam in causa esse possunt, quamquam a quibusdam negatur formatio polyporum vita durante.

Ast non semper processus inflammatorius et ejus exitus causae evadunt cardiopalmi; aliae habentur causae hujusce phaenomeni naturae oppositae, et alias inserunt organismo pathologicas

conditiones quae palpitationi favent. Interea evacuationes omnes immodicae cardiopalmum producunt. Sanguinis penuria cor provocat ad suos iterandos conatus, ut contractionibus solito vehementioribus acceleratisque organismum humore, quem recipit, suppleat. Hinc pro causis habendae sunt omnes haemorrhagiae, menstrua immodica, metrorrhagia praesertim et galactirrhoea. Nutrices quae plures infantes lactant, frequenter palpitationi obnoxiae sunt; et hisce in circumstantiis conditio quae inducit cardiopalmum certe hypersthenica non erit, sed hyposthenica. Abusus phlebotomiae, drasticorum, et praesertim deprimentium, ducit ad hyposthe-niam quaa multoties manifestatur symptomatibus cordis palpitationis, immo hunc morbum efficit. Ipse Meli a sanguinis penuria duos derivari effectus censet, idest cordis et arteriarum majorem impulsum, cuiusque sanguinis accelerationem.

Febres nervosae malignae (quaecumque sit earumdem conditio, nam a recentioribus solidis innixis argumentis phlogistica demonstratur), typhus ipse, intermittentes syncopales, praesertim in stadio invasionis, palpitatione stipantur.

Non solum febres, sed etiam nevroses et cachexias cardiopalmus comitatur. Ecquemnam latet, cordis palpitationes fere constans sistere in epilepsia phaenomenon? Nonne hypochondriacus cardiopalmo saepe vexatus morti se proximum putat? Femina hysteria laborans nonne ad lacrimas cogitur adve-

nicnte palpitatione? Nonne scorbutus, strumae, chlorosis aliique morbi comitem palpitationem agnoscunt, quorum conditio pathologica varia vel opposita juxta pathologorum concepta habetur?

Si diversae igitur et contrariae morbosi hujusmodi phaenomeni causae esse possunt, necessario consequitur, ut a diversa quoque et contraria conditione, ut demonstravi, oriri queant.

Prognosis.

Etiamsi prognosis variet juxta causarum naturam, symptomatum diuturnitatem et vehementiam, aetatem, sexum, temperamentum et morbos praegressos vel comitantes; attamen si palpitatio in vitiis organicis praecordiorum radicetur, fere semper lethalis habetur. Quae nascitur motu violento, levibus animi adfectibus, pressione viscerum thoracis, non fertur periculosa. Si a phlogosi pendet, gradus hujusce et pars inflammata praebet criterium ad pronunciandam prognosim. Quando oritur ob consensum, si pars vel organon, cum quo cor in consensum fertur, organica laesione non laboret, sanari potest: itidem si, uti diximus, a febribus nervosis, ab hysteria, hypochondriasi, scorbuto, chlorosi oritur, sanatur, dummodo hae affectiones facili negotio auferantur. Quae originem ducit ab impetigine et exanthemate retropulso, cum hic possit revocari, bonam prognosim dat; idem dicatur, si a suppressione cujusdam secretionis oriatur.

Cura.

Duplex medendi ratio, ut in aliis morbis, et in cardiopalmo habetur, palliativa nempe et radicalis. Primo intuitu jam elucescit quinam casus cura palliativa tantum indigeant, nempe cum palpitationes a vitio organico originem ducant. Individua vitiis praecordialibus organicis adfecta fere semper ex venae sectionibus, parvis et tempore quo exacerbari videtur morbus, levamen capiunt (Galenus). In hocce casu oportet ut medicum non avertant a phlebotomia pallor faciei, modica virium dejectio, oedema artuum, irregularitas motuum, phaenomena quae enasci possunt ab impedito sanguinis et lymphae affluxu cor versus. Oportet autem ut venae sectiones ex intervallis plus minusve longis, et symptomatum gravitati proportionales sint.

Ast ubi venam secare nequimus ob metum stimulum vitae tam necessarium nimis imminuendi, ad digitalem purpuream, uti ad sacram ancoram, confugiemus. Et revera posteaquam perplures sententiae antea pronunciatae fuerunt quoad digitalis actionem, reservatum erat Rasorio et Tummasinio veram hujusce pharmaci vim deprimentem illustrare. Isti professores repetitis experimentis et observationibus sequentia deduxere: digitalis nempe congrua dosi adhibita actionem vitalem infirmat, calorem animalem imminuit, ejus effectus a vino dissipantur, augentur sub usu cremoris tartari, et

tartari stibiati, utilis est ubi nitrum et phlebotomiae juvant; valet ubi potentiae stimulantes nocent. Istae observationes a Borda factae ad easdem conclusiones ducebant. Sed si in vitio organico sita est palpitatio, cum cura radicalis negetur, nil aliud remanet nisi praecavere majorem .tunicarum vasorum distensionem, vel compescere incitationem vasorum et cordis exaltatam, et infringere energiam totius systematis circulationis, ad quem scopum obtinendum digitali nil optius. Per digitalis usum cordis pulsationes ita imminuuntur, ut ab octoginta, biduo vel triduo, ad quadragiota et trigiota descendant. Hac de causa digitalis dicta fuit *cordis moderator*. Quae dixi de digitalis virtute ad mitigandum cardiopalmum ut palliativa curatio adhibitae, valeant et in radicali curatione, si cardiopalmus ab inflammatione derivatur. In cardiopalmo cordis aortaeque vitio Tommasinius ad ferrum, taxum baccatam et digitalem purpuream confugit, »sotto »l'uso dei quali rimedj, ait ipse, se non si ebbe »motivo di concepire maggiori speranze di guari»gione di quelle che prima si avessero, si otten»ne però di vedere alquanto migliorate le condi»zioni dell'infermo; giacchè etc.»

Nitras potassae commendatur, acida quoque uti sulphuricum et citricum. Nunquam omittatur hisce in circumstantiis pharmacum fere portentosum aqua cohobata lauri-cerasi. Potus frigidus et fomenta frigida lateri sinistro pectoris admota multum prod-

esse observatum fuit. Omnia haec remedia vel mitiora symptomata reddent, vel mortem ipsam retardabunt, nunquam tamen morbum cum organicus sit, auferent.

Cura autem radicalis, ubi locum teneat, diversa est juxta conditionem pathologicam diversam quae cardiopalmum inducit. Ergo commendatur phlebotomia repetita, hirudines, deprimentia, et praesertim digitalis, ubi a plethora et inflammatione cardiopalmus producatur. Profusam epistaxim et profusum fluxum haemorrhoidalem observatum fuit sanare palpitationes.

Aliquando venae sectiones ex intervallis repetitae evasere cura radicalis cardiopalmi ex organica laesione recenti et levi vasorum, ut animadvertit Valsalva, et aortae aneurismate enati.

Hisce in casibus nunquam satis commendatur diaeta tenuis et quies maxima corporis et animi, purgantia, clysmata, emollientia, praesertim ubi saburrae gastricae et flatus palpitationes producant.

Balnea tepida, revellentia, sinapismata et alia hujuscemodi commendantur, si oriatur ex exanthemate, impetigine retropulsis, et generatim morbum illum revocando, cujus suppressio cardiopalmum induxit. Ita menstrua croco, ferro et generatim emenagogis, si ab illorum suppressione oriretur cardiopalmus, revocentur.

Si palpitationes hysteria, hypochondriasi, chlorosi producta sint, aloeticis, rhabarbarinis et prae-

sertim ferro; si vermibus, anthelminthicis curabuntur.

Quod si dubitaretur veram debilitatem palpitationum causam esse, ad stimulantium usum devenietur, normam prudenter capiendo a juvantibus et laedentibus, ne exteriori debilitatis specie, dum morbus funditus hypersthenicus esset, decipiamur. Hoc in casu inter stimulantia proderunt opium, moschus, camphora, castoreum et similia. Si autem palpitationum causae mechanicae essent, ut ex. gr. arctae vestes, quotiescumque tales sublatae fuerint causae, affectio quoque cessabit. Cardiopalmum vero, ut podagrae, rheumatismi, arthritidis, scorbuti symptoma necessarium, silentio praetermitto, propterea quod hujusmodi morbi suam postulant medicinam, quae cum morbum imminuere valeat, symptoma quoque necessarium tollere valebit.

THESES

I. Linguae foeditas non semper sordes gastro-entericas praesupponit.

II. Actio vermium in organismo est irritativa Italorum sensu.

III. Inflammationem non tantum irritatione et congestione, sed alio elemento indolis arcanae constitui defendo.

IV. Vera febris continua ex processu phlogistico saepissime originem ducit.